

tulus operis testatur ) Memorandarum rerum congeriem amplector, fieri autem potest, ut ex animo fædo. decorum quippiam factū dictūve prodeat, casu aliquo rationis vices occupāte, quod ipsum memoratu dignum sit, ubi de huiusmodi rebus agitur, quāvis eum à quo prodiit, non idcirco dignum statim cognomine claritatis efficiat. Quia ut eleganter, ait, Cicero, non ex singulis vocibus Philosophi expectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. Profecto cum aliquandiu fluctuassem, an aliunde potius ordire, quod & temporum series: Et virorum splendor suggerebat, ipso miraculo, ne ab incepto diuerterem retentus sum. Siquidem Memoranda recensenti, quid memorabilius videri debet, quàm obscœnorum & infamium voces, aut actus egregij, & hæc tanta vitæ morumque repugnantia, qua monemur, non splendore aliquo confestim capti de quoquam quod bonus & sapiens vir sit præcipitare sententiam: Sed de hoc aliàs, nunc ad rem venio, quam te miraturum Lector admonui.

CL.